

*Episcopi*, die quadam Diacono Evangelium recitante, inter recitandum, lapis beati viri sepulchro superpositus, ad instar crucis divisus in tonuit, presentibusque cunctis validum stuporem incussit, Cumque eos iste concuteret stupor, ecce alius subsecutus est major: quia mox inter Dominici corporis sanguinisque immolationem, lapis nuper quadrifariam dispersitus, in innumerabiles particulas dissipatur. Lapis quidem iste, bonus beato viro testis erat juxta suum posse, cujus dum potestatis non erat laudare per sermonem, laudabat autem per disruptionis vocem. Nec etiam ipsi terræ, hujus viri laudes eas fuit reticere. Resoluta enim in superficie sepulcri, deorsum subsedit more mirabili; ejusque sepulcrum esse destitit, cujus loculum liberè spectandum præbuit. Hinc patet, quam reverendus iste sit substantijs rationalibus, cujus sic præconium confessa est irrationalis tellus. Confessa est enim, ne sibi licitum foret hoc corpus suis occultare latibulis, quod multo rectius coleretur in altaribus sacris. Præterea, cum scissurâ petræ, casuque terræ, tanta jucunditas exorta est suavissimi odoris, ut non vana fides sit, affuisse sibi auctorem suavitatis. Hic verè

*Scinditur incertum studia in contraria vulgus.*

*Cap. IV. Sepulcri lapis iterum ac tertio dissilit.*

Certantes enim diu, quid hoc signum portenderet? elegerunt tandem Episcopo *Bisoni* rem hanc palificare, quatenus ille eos componeret dijudicata lite. Ille autem edixit fracturam sepulcri redintegratum

